



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 14. Sociorum Vrvaicensium labores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Sancti Caroli oppido turpissimus Ariolus, & insignis maga repentino fato periere. Præterea multi incantatores, propagationi Fidei infesti, turpes animas exhalavere: nemine dubitante id fuisse factum, ut planum Evangelio iter foret. Magus colloqui cum dæmone assuetus, Fidem Christianam professus, magno postmodum adjumento fuit popularibus suis ab eo olim corruptis, uno scilicet homine vulnus & auxilium ferente. Adulto jam anno, Philippus Viverus Flandro-belga Petro Molæ socius additus est, grandi Caasapaguaensium emolumento; nam uno ad sarcinas remanente, per vices ad proxima remotaque loca excurrerant: ab utroque domi forisque trecenti Ethnici salutari lavacro abluti sunt. Andreas Rua Japeivienses, ne fame coacti latè per campos vagabundi dispalarentur, terram arare docuit, & armentum boum collegit: quarum rerum famâ allecti Ethnici Sociis, Religionis ergo, se traditum venère.

HÆc summatim de singulis Urvaicæ oppidis: sed quis jam paucis verbis complecti possit, quæ universim Socii, grassante peste, & fame, & aliis de causis toleravère. Excedebat vires singulorum aut binorum Sociorum in quoque oppido & regione curantium numerus ægrorum; nec fieri poterat, ut omnibus adessent. In comperto fuit, magnitudine laborum Petrum Molam pænè exanimatum fuisse. In nova Assumptionis colonia omnibus incolis peste afflatis, Christophorus Altamiranus sine Socio etiam æger in reticulo ad ægros se, aut ægros ad se transferri curabat; infirmâ voce manuque baptismum & exhomologesim impertiens. Pestem sequuta fames, quod Guaranicæ advenas sustentassent. Inter hæc adversa in nova oppida multæ pietatis exercitationes utiliter inductæ sunt: nam diebus Christi patientis memoriæ consecratis institutâ supplicatione, scuticâ se verberare, rosarium Marianum quotidie in templo percurrere, ægros invisere, & alia ejusmodi plurimorum jam Neophytorum exercitium erat. Sole fruges adurente, cum intellexissent, Caapienses solere veteres Christianos castigatis voluntariè corporibus pluviam ab Deo impetrare, turmatim arreptis flagellis in se sævière, adeo feliciter, ut cælum ex sereno repente nubilum pluviam largiter effuderit. Non defuere tamen repullulantis impietatis exempla. Caapiensium Dux ægerrimè ferens pellicem abs se abstrahi, Ariolorum somnia deblaterans, explosâ Christi doctrinâ, sapius Petrum Molam de medio tollere tentavit; qui contemptâ morte constantiam Christianam præferens, eò veteratorem adduxit, ut abjuratâ perversitate sincerè fidem capesseret, & in expiationem præteritæ temeritatis ad longinqua loca profectus, multos Ethnicos Christianæ religioni iniciandos ad oppidum reduceret. Multis in locis turbatum etiam est occasio pellicum, quarum turbarum causas lubet simul & breviter evolvere.

GUARANÆ gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido & autoritas a popularibus suis impetrabat: nec aliud erat majus capessendæ religionis nostræ impedimentum, quàm cum monerentur unicâ uxore Christianos ex lege Divina contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorundam Sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii dempto scrupulo, religionem Christianam ineuntibus, quamcumque vellent, ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem, inde natam, quod Doctores scholastici de ea re inter se dissentiant, ad summum Legum interpretem recursum est, & Joannes Lugo, postmodum Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII. Pontifici maximo exposuit. *Sanctissime Pater, in Provincia & regno Paraguarie, in India Occidentali, maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum conjugem, quem in infidelitate habuerunt: gens quippe ex innatâ barbarie passim conjuges (si verè conjuges dicendi sunt) dimitrunt, non aliter quàm nostri famulas vel famulos: & hoc solum quia conjux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domus curam habere, vel quia jam senescit. Imò frequenter non unam solum uxorem accipiunt, sed simul cum eâ omnes ejus filias vel sorores, si quas habet:*

*Petri Mola
& Philippi
Viveri ex-
cursiones.*

CAPUT
XIV.
Sociorum
Urvaicæ
labores.

Peste grassante.

*Petrus Mola
ad necem
quaritur.*

CAPUT
XV.
De Guara-
nicæ gentis
matrimo-
niis.

*Varia opinio-
nes.*

*Joannes Lu-
go dubium
ad Pontifi-
cem refert.*